



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 56. Judæorum Cæcitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

Sæculum II.
A. C. 166.

quod more Philosophorum a Sectæ suæ auctore traxerunt. Hanc Ideam tunc temporis Hæreticorum S. Justinus format.

§. LVI.

Judæorum Cæcitas.

p. 246.

Multis modis Judæorum cæcitatem increpat; & postquam diversos textus de circumcissione Spirituali, & Gentilium vocatione adduxit, sic ait: *Mibi quidem his rationibus veritatem ingeniis etiam stupidissimis persuaderi posse videtur; non enimvero, ea quæ modo attuli, a me artificio humano, vel industria mea præparata sunt, sed ea ipsa, quæ attuli, jam pridem Regius Psalter David cecinit, Isaias, & Zacharias prædixerunt, & Moyses scripsit. Eadem, amice! hac tua indole negare non potes. Hæc omnia in libris vestris scripta sunt, vel verius, nostris, nos enim, quæ scripta sunt, credimus, vos vero legitis, & lecta non capitis. (*)* Alio loco dicit: *Scripturas solummodo refero, nec mens mihi est, eas dialectice demonstrandi. Gratiam intelligendi Scripturas a Deo*

p. 71.

(*) Eadem nos ad Protestantes dicere possumus.

Deo accepi, quam gratis omnibus homi- Sæculum II.
nibus communicare cupio, ne coram Dei A. C. 166.
judicio reus sim, cui aliquando rationem
reddam.

Illorum, qui inter Judæos Rabbini, p. 339.
 id est Magistri, & S. Scripturæ interpre-
 tes habebantur, futes argutias notat,
 quæstionem moventium, quare in hoc
 v. g. S. Scripturæ loco de camelo fœmi-
 na mentio fiat; quare in oblationibus
 tanta, & non alia farinæ, vel olei men-
 sura adhiberi debeat, quia hujusmodi re-
 rum explicationes humiles, & prophana-
 nas dabant. Eosdem adeo rudi, & ine- p. 342.
 pto sensu verba S. Scripturæ interpre-
 tari incusat, ut sibi Deum cum manibus,
 & pedibus, corpore, & anima imagina-
 rentur, eumque corpore isto Abraham,
 & Jacob apparuisse. Dum plurima, sub- p. 343.
 dit: dogmata utilia, & gravia vobis
 explanamus, si quidquam leviusculum
 vobis displiceat, aut non intelligatis,
 omissa rei summa, his minutiis inhæ-
 retis, & nobiscum jurgamini, sicut mu-
 scæ, quæ, sana carne intacta, ulceribus
 insident.

Vestris Legis Doctores permitten-
tibus, pergite: etiamnum quatuor, &
quinque uxores habetis, & si quis vi-
deat mulierem formosam, & concupis-

M m 4 cat

Sæculum II.
A. C. 166.

cat eam ; historiam Jacobi, aliorumque Patriarcharum memorat, dicens : quid mali facio, si tantorum virorum exempla sequor ? Vab ! miseros, & insensatos ! actiones Patriarcharum Mystice erant, & rerum magnarum figuræ. Post horum Mysteriorum explicationem subdit ; ex Davidis verecundia, postquam Uriæ uxorem seduxisset, & ejus poenitentia inferri debere, veteribus nulloatenus fuisse persuasum, sibi licere uxores accipere quot, & quales vellet ; Quod tamen, inquit : vestri populi homines hodie passim faciunt, qui mulieres, matrimonii nomine, in omnibus regionibus, quo deferuntur, accipiunt. Quod de Davide hic S. Justinus dicit, hunc sensum habere videtur : Si David pro sua concupiscentia sibi permissum putasset, divortii, & Polygamie libertate uti, nihil fuisset occultandum, nec crudelitate in Uriam opus, sed Regia auctoritate ad repudiandam uxorem compulisset ; sicut tempore posteriori Augustus Drusum ad Liviam repudiandam coegit. At talia matrimonia nihilo erant meliora, quam contactus pallio concubitus natus.

§. LVII.